

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4546

Auteur(s) : Étienne, Poilley, Notre-Dame de Montmorel (abbé)

Bénéficiaire(s) : Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1265

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'abbé Étienne et les chanoines de Notre-Dame de Montmorel notifie l'accord conclu entre eux et l'abbé et les moines du Mont Saint-Michel sur les dîmes du blé et du vin de Poilley.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCXXVII, p. 222-223.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis frater Stephanus, divina paciencia, abbas monasterii Beate Marie de Monte Morelli ac ejusdem loci humilis conventus eternam in Domino salutem. Noverint universi quod cum contentio verteretur inter nos, ex una parte, et religiosos viros abbatem et conventum Montis Sancti Michaelis de periculo maris, ex altera, super decima bladi et vini quam percipere solebant et consueverant apud Poille in hiis territoriis sive feodis, videlicet in feodo de Plancha, in feodo de Ysigneio, in feodo de La Vesconterie, in feodo Augu, in feodo as Costentins, in feodo de La Quetelière, in feodo Ricardi Muriel et in medietate Asce Florie feodi, tandem post multas altercationes et controversias pacificatum est inter nos et compositum in hunc modum : quod nos dicti abbas et conventus Montis Morelli habebimus et percipiemus, de cetero, dictam decimam in perpetuum, ita tamen quod nos tenemur reddere dictis religiosis abbati et conventui Montis Sancti Michaelis de periculo maris, vel priori de Balaan, qui pro tempore fuerit, pro dicta decima septem libras et dimidiam Turonensium hiis terminis infrascriptis : videlicet in Nativitate Domini quatuor libras et in Resurrectione Dominica sexaginta et decem solidos Turonensium annuatim. Et, si nos prefati abbas et conventus Montis Morelli dictis terminis vel aliquo dictorum terminorum deficeremus in solvendo per compositionem istam ipsi possint sine contradictione, molestacione et impedimento nostri et successorum nostrorum in nostris grangiis de Poilleio et de Monte Morelli tam pro principali, ultra predictos terminos detento, quam pro expensis suam plenariam justiciam exercere, donec super premissis eisdem plenarie fuerit satisfactum et tradere ipsis abbati et conventui Montis Sancti Michaelis claves grangiarum nostrarum predictarum, si super hoc ab eisdem fuerimus requisiti. In cujus rei testimonium eis presentes litteras sigillis nostris dedimus sigillatas. Actum et datum anno domini millesimo CC sexagesimo quinto, die lune, post festum Beati Luce, ewangeliste.